



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LXII. David inte[m]perantia[m] sitis triumphat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

leris, Nuntio, inquit, occisi Saulis, pro mercede, quam captabat, vitam auferri iussi; & vos proditores, vos sicarios execrandos, patiar impunes? etiam gratiam nefando sceleri reponam? vos, qui virum infontem, vestrum Regem, in suamet domo, in suo lectulo quiescentem per insidias invasistis, latronum more jugulastis: flagitij præmium à me speratis? Ita vobis Davidis nota pietas, nota justitia? In malam crucem deterrimi parricidae. Cum dicto, negotium dat satellitio, ut in nefarios irruat, & interficiat. Extemplò factum. Vis manus, pedesque præcisi, & in medio Hebronis foro, juxta fontem (exactius hæc cum Divino Scriptore memoramus) suspensi; cadavera in crucem acta; ut monumentum tam auctorum nefandi sceleris, quam pietatis Davidicæ extaret. Isbosethi caput in Abneris tumulo conditum est. Utrumque rara perfidia sustulit, rarior pietas extulit, & in amplissimo regno dissidentes, angustum spelæum conjunxit.

NARRATIO LXII.

DAVID INTEMPE-  
RANTIAM SITIS TRI-  
UMPHAT.

2. Reg. 23. 1. Paralip. c. 11. Anno Mundi 2988.  
Ante Christum 1065.

**I**sboetho Rege per sicarios confosso, regnum ipsius in Davidem inclinare, & denique transferri cœpit. Comitij enim Hebronem urbem indi-

ctis, tantò numerò Israëliticæ tribus, studijs, ut me-  
moravimus, in Davidem versis, confluxerunt, arma-  
torum ut trecenta quinquaginta septem millia cen-  
serentur; à quibus omnibus Rex salutatus est Da-  
vid. Inaugurationem regiam excepit epulum, tri-  
duò magnis sumptibus celebratum. Rex tanto om-  
nium consensu creatus, animorum voluit uti calore;  
Suscipit expeditionem ad arcem Solymæam, quam  
in jugo montis *Sionis*, situ operèque munitissimam  
*Iebusæi* tenebant, expugnandam; urbem Hebræi jam  
antè occupârant. Missis igitur ad *Iebusæos* caducea-  
toribus, arcè æquis sibi conditionibus dedi postulat.  
At illi consili munimentò, armis, viris, commeatu,  
propugnaculis instructissimò, per ludibrium Regi  
nuntiari jubent, non eadem ipsum & incolas æsti-  
matione loci firmitatem metiri: scire se, adversus  
quamlibet vim ei defendendo, cæcos etiam claudos-  
que propugnatores suffecturos: qui primis ubi de  
propugnaculis fuerint depulsi, tum enimvero occu-  
latos, manibusque valentes & pedibus occursum;  
hostemque deturbaturos. Stimulavit iram Regis  
contumelia responsi, quam ut à se amoliretur, pro-  
positis ingentibus præmijs, incitat militem ad ar-  
cem invadendam; ei, qui primus in muro evasi-  
rus esset, supremâ militiæ præfecturâ decretâ. Mi-  
ra continuò belatorum alacritas emicuit, certatim  
scalas admòventium. Ante alios omnes Ioabus,  
supremus dux militiæ, in altum enixus, dignitatem  
imperatoriam, quâ privandus ob necem Abneris e-  
rat, recuperavit, confirmavitque. Arx capta; Je-  
busæi ad unum omnes jugulati. David repurgatò  
locò, domum ibi ædificavit Regiam, juxtaque, ba-  
sili-

ficam, in cujus Aula media Tabernaculum postmodum cum *Arca Fœderis* constituit.

Philisthæi expugnato munimentô tam valido, suum agi periculum rati, fortunam gemino tentant prælio, turpiter utroque victi, profligatîque, Quo tempore Davidem in castris versantem, laboréque fessum, vehementior sitis accendit; sed quam cupe-  
ret aquâ non aliâ restingui, quàm cisternæ Bethle-  
miticæ, cui pastoritius etiamnum puer assueverat. Credibile est, magnanimi Regis desiderium, magis amore patriæ (Bethlemum erat oppidum) quæ tum in Philisthinorum potestate erat, recuperandæ, quàm frigidæ ex ea apportandæ cupiditate exarsisse. Audierant fortè Regis desiderium, qui proximi sta-  
bant Proceres; è quibus viri tres *fortissimi*, quorum nomina *Iesbaam*, *Eleazar*, *Semmaa*; hi suam Regi fi-  
dem, fortitudinémque probaturi, (in sciô tamen ipsô) suscipiunt negotium longè audacissimum (sunt enim desideria Principum, pro jussu subditis) penetrant per media Philisthæorum castra, & Beth-  
lehemum firmô hostium præsidiô infessum, perrumpunt; desideratam Regi lympham referunt. Quam isut oblatam sibi vidit, absit, inquit, absit, ut pe-  
ricula tam pretiosa bibam, & virorum fortium san-  
guine ardorem meum temperem; quòd si dux ego sitiam; universus biberit exercitus: si bibero, sitiet. Discam commilites mei necessitatem virtute vince-  
re: rationem antehabere cupiditati. Non rectè imperat cæteris, quisquis non imperat sibi, & cum dicto, omnium in conspectu, aquam effudit, DEO in libamen, sui que victoriam consecrans, parvo im-  
pendiô maximam Cœli gratiam collegit.